MONITA

EXCERPTA EX CONSTITUTIONE BENEDICTI XIV.

QUAE INCIPIT

CONVOCATIS

ET EX ALTERA, CUJUS EXORDIUM

INTER PRAETERITOS

DE USU FACULTATUM CONFESSARIIS TRIBUTARUM OCCASIONE JUBILÆI

EDITA EORUMDEM CONFESSARIORUM COMMODITATI

JUSSU SSMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XII.

Cum magnopere intersit, facultates peculiares ex Jubilæi causa a Summo Pontifice adtributas prudenter, et circumspecte adhiberi, ne minus caute illas exercendo tum usto disciplinæ vigori, tum ipsarum Animarum vero bono detrimentum afferri contingat: ideo Benedictus XIV. in sua de facultatibus pro Anno Sancto concessis Constitutione, quæ incipit = *Convocatis* = congruum, et opportunum duxit, nonnulla Monita pro recto earumdem facultatum usu subjungere; quæ quidem tam ab minoribus Pœnitentiariis, quam a Confessariis reliquis Jubilæi causa designandis attente legi, et considerari jussit, ac pro norma, et regula haberi, cui se in suæ facultatis exercitio, prout casus poposcerit, exacte conformarent (*Ex cit. Bull.* §. 22.)

Digitized by Google

Saluberrimi hujusce consilii utilitates probe novit Sanctissimus Dominus Noster LEO XII., ac pro ea, qua præstat, in summi Apostolatus regimine sapientia, suis Apostolicis Literis, quas dedit de facultatibus occasione Jubilæi impertiendis, monita illa edenda separatim in Confessariorum commoditatem denunciavit, statis quibusdam immutationibus ex temporum ratione inductis, ut ipsi in Sacramento Pœnitentiæ administrando conditiones inde, ac leges opportunas nanciscantur.

I. Primo itaque meminerint Confessarii firma perstare, quæ in Constitutione = *Sacramentum Pœnitentiæ* = de complici in sexto a Benedicto XIV. statuta sunt an. 1741.

II. Advertant, absolutiones, commutationes, dispensationes, quarum ipsis potestas collata est, non posse a se exerceri extra actum Sacramentalis Confessionis, neque extra suam cujusque Basilicam, vel Ecclesiam, nisi in casibus alias sibi a Majori Pœnitentiario permissis, vel permittendis; vel in casu administrandi Pœnitentiæ Sacramentum alicui infirmo, qui cum corporalis ægritudinis causa ad Basilicas, seu Ecclesias ipsis respective designatas accedere personaliter nequeat, eorum aliquem arcessendum duxerit, ut Confessionem Sacramentalem pro Jubilæi consecutione apud ipsum expleat (*ex* §. 25.)

III. Non prætermittant suam cuique Pœnitenti salutarem pœnitentiam imponere in Sacramento ne prætextu quidem Jubilæi per eumdem Pœnitentem consequendi (*ex* §. 26.)

IV. Ab occultis censuris ob partem læsam incursis non prius absolvant, quam parti læsæ Pœnitens satisfecerit: vel si prius Pœnitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret, se satisfacturum, cum primum poterit.

V. In publicis Censuris, quarum absolutio est Pœnitentiariis minoribus impertita, satisfactioni prædictæ consulatur juxta praxim Pœnitentiariæ Apostolicæ, ad quam dirigendus erit Pœnitens cum libello supplici, in quo, expresso nomine, cognomine, ac Diœcesi Pœnitentis, et casu hujusmodi publicæ censuræ subjecto, scribat subtus Confessarius testimonium absolutio-

Digitized by Google

nis ab eadem censura concessæ : inde enim ex Pœnitentiariæ Officio recipiet Breve in forma *Missi vel Remissi* juxta ipsius Officii praxim (*ex eadem Bulla §§. 5. et 27.*)

VI. Violantibus Clausuram Monialium ad malum finem in casibus etiam occultis, imponant prohibitionem accedendi in posterum ad Monasterium illud, ejusque Ecclesiam, monendo Pœnitentes, ita ipsos absolvi a Censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam illam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem Censuras. Quod si eæ sint Pœnitentis, ac locorum circumstantiæ, ut executioni mandari nequeat præscripta isthæc conditio, consulatur Cardinalis Major Pœnitentiarius, qui pro sui prudentia, ubi ita necessitas postularit, dispensare super eadem poterit (*ex §. 28.*)

VII. Religiosos vero suam violantes Clausuram per mulierum introductionem ad malum finem, ita a Censuris propterea incursis absolvant, ut super inhabilitate ulterius per hoc contracta ad Dignitates, et Officia sui Ordinis consequenda, nullatenus cum iisdem dispensent (*ex §. 29.*)

VIII. A lectione prohibitorum librorum præsertim in Bulla Cœnæ contentorum non ante absolvant, quam Pœnitens libros, quos in sua potestate habet, Inquisitori, vel Ordinario, vel saltem ipsi Confessario secrete tradiderit, vel se, quamprimum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat (*ex §. 30.*)

IX. Regulares a suo Ordine Apostatas, vel Fugitivos non absolvant, quamdiu extra Ordinem permanserint, nisi saltem post reassumptum habitum Regularem cum firmo proposito redeundi celeriter ad claustra, vel nisi Ultramontani sint, vel alias longe distent, et propter inopiam, vel gravi de causa nequeant statim habitum induere, quibus tamen certo tempore ad id exequendum præfinito absolutionem elargiantur cum reincidentia, ut eo termino elapso intelligant, se fore relapsuros in eamdem sententiam, et censuras, quibus ante erant innodati : et durante dicto termino moneantur, ipsis esse prohibitum exercitium Sacrorum

Digitized by Google

Ordinum, donec habitum reassumpserint, et ad Religionem redierint sub obedientia Superiorum (*ex* §. 32. *et ex Tabella facult. Pœnitentiariis tribut.*)

X. Personis Romam ad hoc Jubilæum consequendum venire volentibus, non intelligitur data veniendi libertas sine obtento alias necessario suorum respective Superiorum consensu (*ex* §. 43.)

XI. Romanorum appellatione, quoad visitationes quatuor Basilicarum per triginta dies peragendas, comprehenduntur omnes, et singuli nati, atque habitantes Romæ, sicut etiam nati, atque habitantes in Suburbano vinearum tractu intra quintum ab Urbe lapidem. Incolarum autem nomine ad eumdem effectum intelliguntur omnes illi, qui certum aliquod officium in Urbe obtinent, seu cum spe illud obtinendi, moram ibidem trahunt, ideoque in ipsa quasi domicilium acquirunt, omnesque illi, qui ad eamdem Urbem, vel ad aliquem Suburbanum locum intra quintum lapidem ut supra, se contulerunt alia quacumque de causa, quam præsentis Jubilæi lucrandi, vel si ipsius lucrandi causa ad Urbem accesserint, eo tamen animo sunt, ut per majorem anni partem, seu ultra sex menses ibi commorentur. Reliqui omnes Peregrinorum, aut Externorum nomine, quoad visitationes earumdem Basilicarum per quindecim dies agendas, se comprehensos intelligant (*ex* §. 44.)

XII. Confessionem, et Communionem pro hoc Jubilæo consequendo injunctas non necesse est visitationibus quatuor Basilicarum præmittere. Satis erit vel in hujusmodi visitationum decursu, vel etiam post easdem visitationes expletas, Confessionis, et Communionis Sacramenta suscipere (*ex* §. 45.)

XIII. Cum Confessio Sacramentalis in hoc Jubilæo sit opus injunctum, peragenda etiam erit ab eo, qui solis peccatis venialibus teneatur, si hoc lucrari Jubilæum velit (*ex* §. 46.)

XIV. Si quis post Confessionem peractam, in lethale peccatum (quod Deus avertat) inciderit, antequam omnia omnino opera pro Jubilæo hoc lucrando injuncta expleverit, Confessionem denuo præmittere debebit, priusquam ultimum saltem ex aliis injunctis operibus

expleat, ut Indulgentiam hoc Jubilæo concessam consequatur (*ex* §. 47.)

XV. Quamvis injuncta pro hoc Jubilæo Communio sit, pueri tamen, qui nondum ad primam Communionem admissi fuissent, neque intra hunc Annum Sanctum Parochi proprii, vel Confessarii judicio admittendi videantur, censeri possunt ab isto injuncto opere legitime impediti, eisdemque communio in aliud pium opus arbitrio Confessarii præscribendum commutabitur. (*ex* §. 48.)

XVI. Ad injunctam Basilicarum visitationem perficiendam non opus est in easdem Basilicas per Portas Sanctas, vel per harum aliquam ingredi, vel regredi (*ex* §. 49.)

XVII. Si quod superveniat Indultum, quo præscriptus initio visitationum numerus ad minorem redigatur; quisquis ante id indultum visitationes Basilicarum per aliquas vices peregisset, is visitationes a se jam peractas utiliter computare poterit ad conficiendum numerum visitationum hujusmodi indulto præscriptarum, superaddendo nimirum alias, quæ desint ad explendam summam indulto præfinitam. Si vero eam summam seu numerum antea jam explevisset, vel etiam excessisset, unum saltem diem visitationis quatuor Basilicarum præterea adjunget, ut indulti beneficio uti valeat (*ex* . 50. *et ex Const. Inter præteritos* §. 82.)

XVIII. Injunctæ piæ preces in singularum visitatione Basilicarum ad fines SANCTITATI SUAE propositos, et in Bulla indictionis expressos effundendæ, satis erit si vocales fuerint. Qui sola mente ad eosdem fines orare voluerit, laudandus est; aliquam tamen etiam vocalem orationem adjungat (*ex* §. 51.)

XIX. Qui hoc Anno Sancto bis, aut pluries omnia, et singula opera vel primitus in hujus Jubilæi indictione præscripta, vel superveniente forsan aliquo indulto ea, quæ in ipsius Indulti concessione pro ejusdem Jubilæi consecutione præscribuntur, plene iteraverit; vel prius ad Indictionis, deinde ad Indulti formam, vel prius ad formam Indulti unius, deinde ad alterius fortasse diversi formam, ut præfertur, iteraverit, bis quoque, aut pluries poterit hoc Anni Sancti Ju-

Digitized by Google

bilæum lucrari. Ita enim habita ratione annui spatii, ad quod hujusmodi Jubilæum protenditur, placuit SANCTITATI SUAE de Apostolicæ liberalitatis plenitudine indulgere, ita tamen, ut nemo possit, nisi semel, idest prima tantum vice, frui, seu potiri favoribus huic Jubilæo adjunctis. Quare post primam vicem nullus gaudere amplius poterit beneficio aut absolutionum a novis Censuris, et Casibus reservatis de novo fortasse contractis, aut commutationum, aut dispensationum in facultatibus per Apostolicas de iisdem litteras impertitis contentarum. Qua quidem de re districte jubentur Confessarii, ut Pœnitentes perspicue commonefaciant (*ex* §. 52.)

XX. Præter Pœnitentiarios minores jam deputatos, seu occasione Jubilæi deputandos, quibus inter ceteras facultates ea etiam adtributa est absolvendi pro foro conscientiæ a censuris propter hæresim formalem incursis (*vid. Bull. Sanctissimi D. N.* §. *VI.*) reliqui omnes noverint in concessione facultatis absolvendi a Censuris in Bulla Cœnæ reservatis, non comprehendi facultatem absolvendi a Censuris propter hæresim formalem externam etiam occultam incursis, nisi specialiter, et expresse hujusmodi facultas concedatur, juxta iteratas hac de re declarationes, et nominatim juxta decretum Universalis Inquisitionis die 15. Maii ann. 1656. ab Alexandro VII. approbatum (*ex* §. 53.)

XXI. Absolutio a Censuris præter eas, quæ datæ sint ad reincidentiam; item commutationes votorum, et dispensationes juxta concessas hoc anno respectivas facultates, semel obtentæ, permanent in suo vigore, etiamsi contigerit, eum, qui illas jam obtinuerat, mutato postea, quod prius habuerat, sincero, et serio proposito Jubilæum hoc lucrandi, ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, de eodem Jubilæo consequendo amplius non laborare (*ex* §. 54.)

XXII. Suspensio facultatum absolvendi, dispensandi etc. pro hoc Anno Sancto denunciata per Apostolicas Literas Sanctissimi Domini Nostri datas XII. Kal. Julii vertentis anni non comprehendit ipsam Romanam Urbem, in qua hoc maxime anno præstat Operariorum copiam,

Digitized by Google

et auxilia pro expediendis Pœnitentibus non imminui. Quicumque ergo in eadem Alma Urbe hujusmodi facultatibus alioquin legitime muniti reperiantur, easdem per hunc quoque annum in ipsa Urbe, juxta tenorem, ac præfinitum tempus uniuscujusque concessionis alias obtentæ exercere libere poterunt (*ex* §. 55.)

XXIII. Extra Urbem vero servanda omnino erit suspensio facultatum in memoratis Literis præscripta, per quam non modo facultates illas, quæ causa, vel occasione Indulgentiarum concessæ fuissent, verum etiam ceteras quaslibet quocumque alio titulo, et causa concessas, prædicto anno durante, suspensas esse, et censeri debere declarat SANCTITAS SUA, illis dumtaxat exceptis, quæ ab ipsa generali suspensione memoratis Literis fuerunt præservatæ (*ex* §. 56.)

XXIV. Meminerint insuper, *vere pœnitentes*, *et confessos* eos dumtaxat intelligi, qui Confessionem actualem rite emiserint: eam proinde omnino necessariam esse ad Jubilæum assequendum, nec Confessionem *in voto* sufficere. Item Communionem *Sacramentalem simul*, *et spiritualem* peragendam esse, quæ nimirum juxta Tridentini Concilii monitum (*Sess.* 13. *Cap.* 8.) illorum est, *qui ita se prius probant*, *et instruunt*, *ut vestem nuptialem induti ad Divinam Mensam accedant*: hinc Jubilæum non lucrari nec qui *Sacramentaliter dumtaxat* Eucharistiam sumunt, ut *peccatores*: nec qui *spiritualiter* tantum, qui nimirum *voto illum cœlestem panem edentes*, *fide viva*, *quæ per dilectionem operatur*, *fructum ejus*, *et utilitatem sentiunt.* (Ex Constit. Bened. XIV. = *Inter præteritos* §§. 2. 7.)

XXV. Visitatio quatuor Basilicarum in uno die fieri debet, vel nimirum ab una ad alteram mediam noctem, vel a Vesperis diei præcedentis, usque ab subsequentis Vespertina crepuscula (*Ex Bulla cit.* §. 11. 13.)

XXVI. Noverint Pœnitentiarii Minores, aliique Confessarii peculiaribus pro Jubilæo facultatibus instructi, non obstante amplitudine verborum super omnibus peccatis, et excessibus quantumlibet gravibus, et enormibus, interdictum sibi esse quidquid in Constitutione =

Digitized by Google

Pastor bonus = Cardinali Pœnitentiario Majori interdictum est, prout essent ex. gr. qui vivente Romano Pontifice circa Successoris electionem tractatus inierint, suffragia comparaverint, aut pactiones fecerint, et qui Astrologia judiciaria vel per se, vel per alios de Statu Reipublicæ Christianæ, sive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis inquisierint. Quod si aliquis ex prædictis casibus iisdem occurrat, adeant Cardinalem Majorem Pœnitentiarium, cui opportuna, et necessaria remedia a SANCTITATE SUA præscribentur. (*Ex Bulla cit.* §. 39.)

XXVII. Facultas *commutandi vota dispensando* distinguitur a sola, ac simplici *commutatione*, quæ subrogationem exigeret in materiam majorem, vel saltem æqualem: sed commutatio mixta cum dispensatione est capax alicujus moderatæ inæqualitatis inter materiam voti, et rem subrogatam (*ibid.* §. 45.)

XXVIII. Cum visitatio Basilicarum non sit opus, ad quod præcepto ullo quis obligetur, sed novum onus ad consequendam Indulgentiam impositum; commutatio ejusdem fieri nequit in alia opera, ad quæ Pœnitens ex alio titulo sit adstrictus (*ibid.* §. 53.)

Quæ quidem Monita in memoratis Benedicti XIV. Constitutionibus luculenter proposita, mandavit SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER in lucem iterum tradi, ut ex ipsorum præscripto tutissima in animarum procuratonem regula præsto sit, atque ut præsenti eorumdem collectioni fides habeatur, ab aliquo ex Sacræ Pœnitentiariæ Officiali, addito ejusdem Tribunalis sigillo subsignari jussit.

F. Dibej S.P. Regent

O M Æ MDCCCXXIV.

pographia Rev. Cam. Apostolicæ.

MSG 2 010175

Digitized by Google

Digitized by Google